De Xenophontis aetate quid ex Anabasi statui possit commentatio.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS LÜNEBURG.

MONACHII

TYPIS SEITZ & SCHAUER

1892.

De Xenophontis aetate quid ex Anabasi statui possit commentatio.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS LÜNEBURG.

MONACHII

TYPIS SEITZ & SCHAUER

1892.

MEO PATRI.

XENOPHONTIS vitam quominus ab initio profecti usque ad finem persequamur et res singulas, quas gesserit, ordine narremus, obstat quod veteres auctores non modo pauca sed nihil omnino de ea prodiderunt. Constituamus, si placet, e testimoniis veterum, quo aetatis anno Xenophon expeditioni a Cyro contra Artaxerxem fratrem susceptae interfuerit. Et Diogenes Laertius quidem dicit haec Vit. Xenoph. II, 55: „ἤκμαζε δὲ κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ ἐπὶ ἄρχοντος Ξεναινέτου ἑνὶ πρότερον ἔτει τῆς Σωκράτους τελευτῆς. κατέστρεψε δέ, καθά φησι Στησικλείδης ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ, ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιμήδους, ἐφ' οὗ καὶ Φίλιππος ὁ Ἀμύντου Μακεδόνων ἦρξε. τέθνηκε δὲ ἐν Κορίνθῳ, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης, ἤδη δηλαδὴ γεραιὸς ἱκανῶς." Hoc igitur loco floruisse Xenophontem circiter quartum annum quartae et nonagesimae Olympiadis vel circiter annum ante Christum natum quadringentesimum primum et obisse anno primo centesimae quintae Olympiadis vel anno ante Christum natum trecentesimo sexagesimo Diogenes rettulit. Quodsi assumimus testimonium quod dicitur Luciani, qui Longaev. 21 Xenophontem ultra nonagesimum annum vitam produxisse auctor est, apparet eum circiter annum quadringentesimum quinquagesimum natum atque anno ante Christum natum trecentesimo sexagesimo mortuum esse, si Diogeni Laertio et Luciano fides est. Sequitur igitur, ut Xenophontem quinquagesimum fere annum agentem ad Cyrum se contulisse Diogenes censuerit.

Atqui Diogenes Vit. Xen. II, 59 alios testes secutus „Ξενοφῶντα ἀκμάσαι περὶ τὴν ἐνάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα σὺν τοῖς ἄλλοις Σωκρατικοῖς" scripsit. Xenophontem autem nondum anno ante Christum natum trecentesimo sexagesimo vita decessisse, ut Stesiclides apud Diogenem narrat, inde apparet, quod Hellen. VI, 4, 35 commemorata est Alexandri Pheraei mors, quae fuit anno ante Christum natum trecentesimo undesexagesimo. Haec vero nobiscum considerantes dubitamus an Diogeni deneganda sit fides. Iam cum perpenderimus, quibus ex fontibus vita Xenophontis a Diogene conscripta manaverit, eo magis illi fidem abrogabimus. Liquet enim

Diogenem partim ex Anabasi sumpsisse et conclusisse partim ex aliis et iis parum gravibus fontibus hausisse. Ex Anabasi quidem, ut hoc unum afferam, Xenophontem floruisse circiter Olymp. 94, 4 Diogenes conclusit. Postquam autem Grotius Hist. of Greece V, 143 Meissn. Diogenem illa oratione, quam Dinarchus contra Cyrilli filium habuisset, esse usum coniecit, Ulricus de Wilamowitz-Moellendorf Demetrium Magnetem ex oratione, qua Dinarchus Corinthius Aeschylum libertum Xenophontis contra Diodori filium nepotemque Xenophontis defendisset, leves rumores de vita huius scriptoris allatos correxisse atque Diogenem Laertium fide dignum esse, ubicumque is Xenophonte ipso et Demetrio Magnete auctoribus usus nos doceat, ceterasque res a Diogene ex aliis fontibus haustas esse fictas in excursu quarto libri qui inscriptus est „Antigonos von Karystos“, disertis verbis exposuit. Quoniam igitur illis supra laudatis locis libri II quae Stesiclides et alii auctores prodiderunt ad errores fabulae traduximus, Xenophontem circiter Olymp. 94,4 floruisse aetate et Corinthi esse mortuum „ἤδη δηλαδὴ γεραιὸν ἱκανῶς“ pro certo habemus. Atque etiam quod Lucianus eum ultra nonaginta annos vixisse testatur, id exiliter computando mihi videtur esse repertum. Sed accedamus ad ceteros auctores antiquitatis, qui de vita rebusque gestis Xenophontis memoriae prodiderunt. Et Strabo quidem IX, 1 p. 403: „ὅπου μάχῃ λειφθέντες Ἀθηναῖοι προτροπάδην ἔφυγον. ἐν δὲ τῇ φυγῇ πεσόντα ἀφ' ἵππου Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἰδὼν κείμενον Σωκράτης ὁ φιλόσοφος στρατεύων πεζός, τοῦ ἵππου γεγονότος ἐκποδών, ἀνέλαβε τοῖς ὤμοις αὐτοῦ καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἕως ἐπαύσατο ἡ φυγή“. Idem legimus apud Diogenem Laertium Vit. Socrat. II, 22: „καὶ Ξενοφῶντα ἀφ' ἵππου πεσόντα ἐν τῇ κατὰ Δήλιον μάχῃ διέσωσεν ὑπολαβών“. Si ista narratio vera est, Xenophon non post annum ante Christum natum quadringentesimum quadragesimum quartum est natus. Sed nescio quo pacto Plato Symp. p. 220 d et Plutarchus Vit. Alcibiad. 7 Alcibiadem in pugna Potidaeensi a Socrate esse servatum referunt. Accedit quod nec Xenophon unquam Socratem auctorem suae salutis praedicat nec Plato Symp. p. 221 a, quo loco quam fortiter hic in pugna Deliensi se gesserit narrat, Xenophontis mentionem facit. Num Xenophon in pugna Deliensi stipendia meruisset, dubitavit iam Athenaeus, qui eum anno 422 aut nondum natum aut infantem fuisse tradidit V, 216 d „καθάπερ οὐδ' ὁ καλὸς Ξενοφῶν, ὃς ἐν τῷ Συμποσίῳ ὑποτίθεται . . . . σὺν τοῖς δαιτυμόσι παρόντα αὐτόν, τὸν ἴσως μηδὲ γεννηθέντα ἢ περὶ παιδικὴν ἡλικίαν ὑπάρχοντα. ἔστι δὲ οὗτος ὁ καιρὸς, καθ' ὃν Ἀριστίων ἄρχων ἦν. Quae cum ita sint, quidnam facere debemus? An evellere illam fabulam fictam et commenticiam e memoria rerum? — Suidas denique sub v. Ξενοφῶν floruisse Xenophontem quinta et nonagesima Olympiade commemoravit.

Quibus expositis testimonia de Xenophontis aetate excerpta e scriptoribus antiquis cum esse suspecta tum eo quo volumus non ferre satis apparet. Sed altera via patet atque mihi videtur esse certa. Xenophon enim in Anabasi occasione data de sua aetate satis diserte loquitur, ut operae pretium esse videatur ea omnia enumerare et quomodo inter se cohaereant, investigare. Sed antequam ad ipsam rem accedam, pauca de iis dicam, qui nostro saeculo eandem rem tractaverunt. Quamquam vero quantum potui omnium doctorum qui sive de re proposita copiose ornateque dixerunt sive eam leviter transierunt ac tantummodo perstrinxerunt, libris colligendis inspiciendisque operam dedi, pauca tamen scripta ad rem pertinentia, ut Anabasis interpretationes Francogallorum De La Lucerne et Larcher, adeundi facultas mihi non fuit. Cuius rei ut veniam impetrem oro. His verbis excusandi causa praemissis redeo ad rem. Ac primum quidem ii sunt enumerandi qui auctoritati Diogenis Strabonisque nimis confisi Xenophontem quadragesimum annum excessisse, cum ad Cyrum se conferret, sibi persuaserunt. Et Iacobus Brucker ex iis quae Lucianus et Diogenes Laertius de Xenophontis aetate narrant, eum Olympiade octogesima altera esse natum incaute coniecit (cf. Histor. Crit. Philosoph.). Atque postquam Corsinus Fast. Att. III p. 279 Diogene Laertio auctore usus Xenophontem circiter Olympiadem octogesimam quartam esse natum computavit et Fabricius Bibl. Gr. III, 1 ad Bruckeri sententiam accessit, Th. Hutchinsonus in dissertatione editioni Cyropaediae Oxoniensi (1727) praemissa in primis operam dedit, ut veterum scriptorum auctoritatem sustineret et Charpentarii disputationem (praef. ad Xenoph. Agesil.), quam ipse non inspexi, probans Xenophontem expeditionis tempore Cyri quinquaginta fere annos natum fuisse ostenderet. Editores Xenophontis Zeunius (1785) et Weiskius (1799) ei aetatem iam provectam attribuerunt. Groddeckius Init. Hist. Graec. litter. I p. 93 Xenophontis diem natalem in Olympiade 83, 2 posuit. Iam Schneiderus, quem Bornemannus est secutus, nihil causae esse cur fidem Diogenis et Strabonis suspectam haberemus, in praefatione ad Xenophontis Historiam Graecam conscripta fusius disseruerat, cum C. G. Kruegerus quaest. crit. Halle 1822 = phil.-hist. Stud. Bd. II p. 262 ingenium suum disserendique subtilitatem in quaestionem hanc solvendam contulit et tantum argutiarum adhibuit, ut eius sententia diu permultis sola videretur esse recta. Kruegerus vero conciliatis Strabonis et Diogenis testimoniis etiam in Anabasi ullum esse locum negavit, ex quo Xenophontem tum quadraginta quattuor annis minorem natu fuisse demonstrari posset. Quocum consentiunt Clintonius: Fast. Hell. 57. 73, C. F. Hermannus: Disput. de tempore Convivii Xenophontei pars poster. 1845, Baehrius: Pauly's Realencycl. t. VI, 2 p. 2791, R. Kuehnerus: Ed. Anab. 1852, A. Hugius: Philol. VII, 638, L. Dindorfius: Ed. alt. Anab. 1855,

Ruestowius: Militär. Biogr. I. 1858, Koechlius: Akadem. Vortr. I. 1859, G. Sauppius: Praefat. ad Cyropaed. 1865, Breitenbachius: Ed. Anab. 1867, Nicolaius: Griech. Litt. I. 1874, p. 289, F. Rankius: De Xenoph. vita et scriptis comment. 1851, Rehdantzius: Einleitung zu Xen. Anab. 1882. Ad eandem fere sententiam accesserunt Letronnius: Biogr. univ. Anc. et Moderne tome VI p. 369, 1828, Schoellius: Gesch. d. griech. Litt. int. Germ. a Schwarze I (1828), p. 33 sqq., C. Linckius: Hermes XVII, 320. Deinde Delbrueckius annum quadragesimum septimum, Hagenus Eos II, 159 annum quadragesimum quartum, Beckhausius Z. f. G. W. N. F. VI annum undequinquagesimum agentem expeditioni Cyri interfuisse Xenophontem censuerunt. Guilelmus Mure denique Crit. Hist. of the language etc. vol. V p. 188 sqq., cum in Hellenicis exitus Alexandri, tyranni Pheraeorum, anno fere 357 facti mentio facta et liber de vectigalibus post annum 355 esset conscriptus, Xenophontis mortem usque ad annum 350 protulit atque Lucianum sequens eum anno fere 435 natum temporibus Cyri expeditionis annum tricesimum quintum egisse coniecit. Quem sequuntur Croiset: Xénoph., s. caractère et s. talent, quamquam ex Anabasi ipsa iuventutem Xenophontis probat, et Ad. Nicolai: zur Litter. üb. Xenophon, Köthen, Progr. 1880. Non dubito, quin horum hominum doctorum opiniones sint plenae erroris, ac si ad quaestionem ipsam solvendam accessero, gravissimis ut opinor argumentis eos, quorum sententia quae refellatur digna est, refutabo. Sed pergamus ad eos enumerandos, qui non aliunde nisi ex ipsa Anabasi controversiam, quo aetatis anno Xenophon fuisset, cum decem milia Graecorum ex Asia reduceret, componi dirimique posse et Xenophontem quadraginta annis multo minorem natu tunc fuisse sibi persuaserunt. Et primus quidem Mitfordius, Britannicus ille historicus, postquam Le-Coïntius in commentariis de reditu decem milium Graecorum, Forsterus in Spelmanni interpretatione Anabasis, Voltairius: Dictionn. philos. s. v. Xénophon t. VI p. 499 sqq. = Oeuvr. éd. rev. Paris 1879 t. XX p. 399 Xenophontem cum in Asiam proficisceretur, iuvenem admodum fuisse paucis verbis docuerunt, fusius eandem rem tractans e locis Anabasis II, 1, 13; 6, 20; III, 1, 14, 25; 2, 37 illum viginti quinque annis non minorem, triginta annis non maiorem fuisse conclusit. Quibus locis a Mitfordio laudatis nostras A. G. Bekkerus in disputatione de Xenophontis vita et scriptis interpretationi suae Germanicae praemissa p. XIX sqq. alium Anabasis locum: VII, 3, 46 addidit, ut testimonia Diogenis et Strabonis refelleret et triginta duos annos tum habuisse Xenophontem explicaret. Iam Albertus Lion locis Anabasis II, 4, 19; 6, 16; III, 1, 4 sqq., 14; III, 1, 25; 2, 37; 4, 42; V, 3, 1; VII, 6, 34 iuventutem Xenophontis prodi contendit. Deinde ad Mitfordii sententiam accessit eamque uberius defendit Thirwallius in disputatione, quam Anabasis

editioni praemisit. Atque novem fere annis interiectis Lennius in disputatione de tempore Symposii Xenophontei (Sorau. Progr. 1841) eandem quaestionem attingens communi antiquitatis opinione Xenophontem et Platonem aetate inter se fuisse aequales dicit et iis quae de sua cum Proxeno amicitia Xenophon ipse in Anabasi narrat, usus eum tum triginta fere annos natum fuisse statuit. Tum vero Fr. Vaterus, qui primum N. Jahrb. Suppl. IX 1843 p. 58 sqq. ante Olympiadem 88 natum esse Xenophontem negavit et iterum eandem sententiam contra C. F. Hermannum uberius defendit Epist. I ad Herm. N. Jahrb. Suppl. XII, 1846, p. 89 sqq., quaestionem propositam profligavit et paene ad exitum adduxit, cum etiam locum Anabasis VII, 2, 38, subsidium quasi eorum qui contra dixerunt, in virum tricesimum fere annum agentem recte cadere doceret. Xenophontem iuvenem minus triginta annorum ad Cyrum se contulisse sibi persuasit etiam Daunou Cours d' Étud. Hist. tome XI Paris 1845 p. 12 sqq. itemque Fridericus de Raumer in epistola quadam ad Boeckhium missa in Anabasi iuveniliter illum se gessisse scripsit. Deinde Cobetus Nov. Lect. p. 534 sqq., quamquam antea in commentatione de prosopographia Xenophontea p. 30 Xenophontem anno fere 444 esse natum veri esse simillimum contenderat, defensor Mitfordii sententiae exstitit. Etiamsi Cobeto, quem male reprehendit C. G. Kruegerus Krit. Anal. VI p. 42 sqq., Xenophontem qualem in Anabasi eum conspicimus, nondum tricesimum aetatis annum egisse, sed potius uno alterove anno hac aetate fuisse inferiorem assentior, queror tamen, quod illi Anabasis loci VII, 2, 38 et VII, 6, 38, qui haud sine ulla contorta interpretatione in virum tricesimum fere annum agentem cadere videntur multis, ab eo sunt neglecti. Cum Cobeto consentiunt Bergkius: Encycl. v. Ersch u. Gruber Sect. I, 81, p. 390, Grotius: Plato a. the other companions of Socrates III, Eberhardus: Zeitschr. f. d. Gymn.-Wesen XIX. Jahrg. p. 493, Heitzius: K. O. Müller, Gesch. d. griech. Litt. fortges. v. E. Heitz Bd. II p. 91 ff., E. Curtius: Griech. Gesch. III p. 497, Roquettius: Diss. inaug. De Xenoph. Vita, F. Benderus: Gesch. d. griech. Litt., C. Sittlius: Gesch. d. griech. Litt. II p. 432 ff. A quibus paulum dissentiunt Gleinigerus De Xenoph. libro qui Πόροι inscribitur 1874 p. 35, qui Xenophontem anno fere 432 esse natum censet, et Zellerus Philos. d. Griech. II, 1^3 (1875) p. 198 Anm. 2, qui Proxeni aetati prope coniunctum fuisse eum contendit, et Hartmanus Analecta Xenoph. I, qui expeditionis tempore vicesimum quintum annum egisse eum vult. Paucis denique affero Nitschii disputationem, quae inscribitur „Ueb. d. Abfassung v. Xenoph. Hellenika". Nitschius enim postquam opiniones cum Kruegeri tum Mitfordii et Vateri impugnavit, aliam ad Xenophontis aetatem statuendam viam indagavit et Memorabilium, Oeconomici, Convivii locis iis usus, quibus Critobuli et Euthydemi quos Xenophontis fere

aequales fuisse putat, mentio fit, Xenophontem temporibus convivii, quod in annos 422—418 refert, aetatis fere annum duodevicesimum egisse contendit, ut aetate Cyri expeditionis quadraginta fere annos natum fuisse eum colligendum sit.

Hi sunt homines docti, qui ad Xenophontis vitam explanandam contulerunt diligentiam, nunc transeo ad id, quod explicare volo: quid de Xenophontis aetate ex Anabasi statui possit. Ac primum quidem singulos Anabasis locos persequar, e quibus Xenophontis aetas qua tunc fuerit, statui possit, tum eius universa consilia factaque in iuvenem minorem triginta annis cadere continua oratione exponam.

Mitto Anab. II, 1, 13 „'Αλλὰ φιλοσόφῳ μὲν ἔοικας, ὦ νεανίσκε, καὶ λέγεις οὐκ ἀχάριτα", cum II, 1, 12 meliores codices A. B. C. E. — quibus siglis usus est Dindorfius — non Xenophontis, sed Theopompi nomen habeant, ut neque de aetate Xenophontis inde quidquam colligi possit neque refutari sit necesse eos, qui Ξενοφῶν legentes illud „ὦ νεανίσκε" a seniore Phalino per contemptum esse dictum nobis persuadere malint. Praetereundus est etiam locus Anab. II, 4, 19, ubi vocem „νεανίσκος" ad Xenophontem non esse referendam, ut Zeunius vult, sed potius nomen iuvenis illius e memoria Xenophontis elapsum nec commentario insertum fuisse recte monuit Alb. Lion. Sed Xenophontem tunc admodum iuvenem fuisse certe suspicari licet ex eo, quod, ubicunque in maximis impedimentis superandis iuniores milites extra ordines evocantur, huic agmini ille praeesse solet. Cf. IV, 2, 16 „καὶ Ξενοφῶν μὲν σὺν τοῖς νεωτάτοις ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἄκρον" et VII, 4, 6 „καὶ ὁ Σεύθης καταμαθὼν ἐκέλευσε τὸν Ξενοφῶντα τῶν ὁπλιτῶν τοὺς νεωτάτους λαβόντα συνεπισπέσθαι". Quales milites, „τοὺς νεωτάτους" dicat, significat ipse VI, 4, 25 „(sc. Ξενοφῶν) ἐβοήθει καὶ οἱ ἄλλοι οἱ μέχρι τριάκοντα ἐτῶν ἅπαντες" et VII, 3, 46 „Ξενοφῶν δὲ παρηγγύησε τοὺς εἰς τριάκοντα ἔτη παριέναι ἀπὸ τῶν λόχων εὐζώνους". Etsi nihil satis certi ex his locis colligi posse Kruegero concedo, cum et iunioribus dux aetate provectior praeesse possit (cf. VI, 4, 40) et vocem ἄλλος idem significare quod „praeterea" apud Latinos communi usu loquendi doceatur, equidem tamen quia semper summa pericula cum iunioribus militibus subire consueverat, ipsum quoque fuisse in eorum numero censeo, qui μέχρι τριάκοντα ἐτῶν esse dicuntur. Nam trecenti quoque, quos milites electos more regum Spartanorum, ut plurimi editores interpretantur, apud se versantes Chirisophus (III, 4, 43) Xenophontem sequi iussit, iuvenes fuisse videntur, cum et ipsi illi trecenti Spartiatae, qui ἱππῆς dicebantur et cohors regia erant, e numero iuvenum deligerentur. Cf. Gilbert, Griech. Staatsalterth. I p. 77. Iam cur Xenophon, simulatque iter gravissimis difficultatibus erat impeditum, milites triginta annos natos et minores evocabat, ut secum pro

salute ceterorum Graecorum vincerent aut morerentur? Videlicet quia homines id aetatis praesertim in terris ad meridiem spectantibus, in quibus homines prius quam in septemtrionalibus regionibus maturitatem assequi constat, maxime vigore ac mobilitate corporum insignes sunt faciliusque, ne dicam levi animo, multos variosque labores belli patiuntur. — Quanto vero vigore quantaque mobilitate corporis Xenophon tunc fuerit, multi loci Anabasis admonent. Xenophontem, cum equo vectus milites instigavisset, ut collem quendam praeoccuparent, Soteridas Sicyonius his verbis increpitavit III, 4, 47: „Οὐκ ἔξ ἴσου, ὦ Ξενοφῶν, ἐσμέν. σὺ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππου ὀχεῖ, ἐγὼ δὲ χαλεπῶς κάμνω τὴν ἀσπίδα φέρων". Statim Xenophon ex equo desiluit, illi homini extra ordines eiecto scutum ademit, quam celerrime, quamvis thorace equestri gravis ponderis indutus esset, procurrit. Postquam Soteridas scuto recepto a militibus pergere coactus est et Xenophon in equum ascendit, hic cum viae iniquitate prohiberetur equo vehi, denuo ex equo descendit pedibusque exercitui praeiit. Atque etiam VII, 3, 44—46, quo loco verba „ἕπεσθε ὡς ἂν δύνησθε τάχιστα" et „ἐπεὶ σπεύδειν δεῖ" ex celeritate progrediendi totum eventum pependisse significant, Xenophon ex equo descendit et „αὐτὸς μὲν ἐτρόχαζε" milites secum habens triginta annos natos et minores. Hic locus et Weiskium, qui inde satis confirmari Xenophontem non fuisse senem docet, et Schneiderum ad dubitandum excitavisse videtur. Tum Xenophontem cum expeditissimis militibus velocissimo cursu ad vadum quoddam contendisse Anab. IV, 3, 20 legimus: „ὁ δὲ Ξενοφῶν τῶν ὀπισθοφυλάκων λαβὼν τοὺς εὐζωνοτάτους ἔθει ἀνὰ κράτος ἐπὶ τὸν πόρον". Accedit denique quod cum exercitus iter quattuor dierum per aequum nive oppletum faceret et multi milites, scilicet maximam partem maiores natu infirmioresque, frigore laboribusque itineris confecti alii perirent alii perituri corpora humi prosternerent, Xenophon ipse, qui agmini extremo praeerat, non modo sine ulla contentione labores tulit sed etiam cum militibus, qui valetudine usque eo erant integra, ut defatigati servarentur, hostes sequentes aggressus est. Cf. IV, 5, 8—22. Quae omnia si per se ipsa spectaveris, grave momentum non habent, tamen coniuncta inter se Xenophontem fere triginta annos fuisse natum suspicionem praebent.

Iam quaeramus num quid ex iis, quae de aetate virorum qualibet ratione cum Xenophonte coniunctorum in Anabasi tradantur, de aetate eius constitui possit. Et III, 1, 4: „ἀλλὰ Πρόξενος αὐτὸν μετεπέμψατο οἴκοθεν ξένος ὢν ἀρχαῖος" et V, 3, 5: „ξένος γὰρ ἦν αὐτοῦ" inter Proxenum et Xenophontem vetus intercessisse hospitium legimus. Proxenus autem Boeotius, cum ad Cyrum, ut gloriam et potestatem et divitias (cf. II, 6, 17) sibi quaereret, cum duobus milibus mercennariorum pervenisset, litteris invitavit Xenophontem, ut Sardis proficisceretur, et pollicitus est fore ut si cum

Cyro esse vellet, in eius amicitiam veniendi auctor esset, quem ipse sibi patria potiorem esse duceret. Xenophon statim ut litteras legit, proficisci consilium cepit. Id enim satis apparet ex eo, quod Delphos profectus „quibus deis sacra facere deberet, ut iter quod in animo haberet, optime ac honestissime perficeret et salvus reverteretur“, non id quod Socrates suaserat „melius esset iter facere necne“ Apollinem interrogavit. Cf. Anab. III, 1, 5—7. At Xenophon Socrati epistolam a Proxeno missam tradiderat eumque de itinere consuluerat. Id fecit, quamvis certum esset ac decretum abire, ne pietatem in Socratem magistrum amicumque abiceret et ut experiretur, quid ille de itinere sentiret.

Quod autem Xenophon ad obsequendum Proxeno promptissimum se praebebat, animum iuvenilem prodit. Nam ex iis quae Anab. III, 1, 4 sqq. narrantur, praesertim e verbis „ὃν αὐτὸς ἔφη κρείττω ἑαυτῷ νομίζειν τῆς πατρίδος“ satis perspicuum est eadem spe qua Proxenum inflammatum Xenophontem ad Cyrum venisse. Eum iuvenem carentem familia, re familiari, negotio, sed flagrantem gloriae cupiditate occasionem primum oblatam et magnam gloriam et potestatem et opes et prorsus omnes res quas cupivisset consequendi, avidissime esse amplexum quis est qui miretur? Sin autem Xenophon, ut volunt Kruegerus, Hermannus, alii, tum quadraginta annis maior natu fuisset et plurimis stipendiis equo publico bello Peloponnesiaco factis uxorem habens Athenis esset versatus, nescio an amici gratia dubiae belli fortunae se non commisisset, ut barbarus quidam princeps suum imperium proferret. Atque quod Kruegerus Hist. Philol. Stud. p. 273 et Krit. Anal. II, 47 a Proxeno esse vocatum Xenophontem contendit, ut ille — quem triginta fere annos tunc fuisse natum audimus II, 6, 20: „ὅτε δὲ (Πρόξενος) ἀπέθνησκεν ἦν ἐτῶν ὡς τριάκοντα“ — maioris natu amici prudentia uteretur, argumentis non est confirmatum. Neque enim argumento est, quod Aelianus Var. Hist. XII, 25: „Καὶ Γέρων δὲ ὁ Δεινομένους Σιμωνίδου τοῦ Κείου ἀπήλαυσε καὶ Ξενοφῶντος Πρόξενος καὶ Ἀντίγονος Ζήνωνος“ Proxeni praeceptorem eum fuisse tradidit, cum haec e copiosioribus sed perditis de Proxeni et Xenophontis amicitia narrationibus esse hausta vel Kruegerus putet. Xenophon Cyri castra secutus est „οὔτε στρατηγὸς οὔτε λοχαγὸς οὔτε στρατιώτης“ (cf. Anab. III, 1, 4) et Proxeno paene privatum voluntariumque comitem, antequam ipse dux factus esset, se adiunxisse eum significant loci II, 4, 15 „μετὰ δὲ τὸ δεῖπνον ἔτυχον ἐν περιπάτῳ ὄντες πρὸ τῶν ὅπλων Πρόξενος καὶ Ξενοφῶν“ et II, 5, 37: „μετὰ ταῦτα ἐξῆλθον φυλαττόμενοι τῶν Ἑλλήνων στρατηγοὶ μὲν Κλεάνωρ Ὀρχομένιος καὶ Σοφαίνετος Στυμφάλιος, σὺν αὐτοῖς δὲ Ξενοφῶν Ἀθηναῖος, ὅπως μάθοι τὰ περὶ Προξένου“. Neque vero ullum locum in Anabasi reperimus, ex quo Proxenum Xenophontis consilio esse usum demonstrari queat, at Xenophontem

Proxeni consilium magni aestimavisse probat, ut taceam illum suasisse, ut se sequeretur, locus Anab. II, 5, 41 „δῆλον γὰρ ὅτι (sc. Πρόξενος καὶ Μένων) φίλοι γε ὄντες ἀμφοτέροις πειράσονται καὶ ὑμῖν καὶ ἡμῖν τὰ βέλτιστα συμβουλεῦσαι". Quae cum ita sint, Proxenum, cum Xenophontem litteris impelleret ut Sardis veniret, nihil aliud nisi id spectavisse mihi persuasi, ut annis inferiori aut certe aequali hospiti gloriam opesque consequendi viam naturae ingenioque eius aptam aperiret. Neque vero futurum fuisse ut Xenophon homo strenuus et constans, si annos quadraginta tres natus fuisset, tam molli Proxeno promptum expositumque se praeberet, admonuit iam A. Eberhardus. Sin Proxeno inferior annis fuit, id non est mirandum. Quae coniectura ad certum redigitur loco Anab. III, 1, 25, de quo infra dicetur.

Xenophontem autem Chirisopho natu minorem fuisse legimus III, 4, 42: „εἰπὼν ὁ Ξενοφῶν ὅτι νεώτερός (sc. Χειρισόφου) ἐστιν αἱρεῖται πορεύεσθαι", ut si quot annos Chirisophus tunc haberet, ille commemorasset, omnis de aetate Xenophontis dubitatio esset sublata. Sed omnia quae de aetate Chirisophi scimus, sunt haec. Neque eum in numero natu maximorum ducum fuisse satis apparet ex his Anabasis locis: II, 1, 10 „Κλεάνωρ ὁ Ἀρκὰς πρεσβύτατος ὤν" V, 3, 1 „καὶ Φιλήσιον καὶ Σοφαίνετον τοὺς πρεσβυτάτους τῶν στρατηγῶν" (cf. VI, 5, 13) III, 3, 11: „καὶ Χειρίσοφος καὶ οἱ πρεσβύτατοι τῶν στρατηγῶν Ξενοφῶντα ᾐτιῶντο" III, 2, 37: „Χειρίσοφος μὲν ἡγοῖτο, ἐπειδὴ καὶ Λακεδαιμόνιός ἐστι· τῶν δὲ πλευρῶν ἑκατέρων δύο τὼ πρεσβυτάτω στρατηγὼ ἐπιμελοίσθην"; neque in numero natu minimorum ducum eum fuisse significatur III, 2, 37: „ὀπισθοφυλακοῖμεν δ' ἡμεῖς οἱ νεώτατοι ἐγὼ (sc. Ξενοφῶν) καὶ Τιμασίων". Itaque Chirisophum, cum minor natu Sophaeneto et Philesio, qui consideranti locum V, 3, 1: „καὶ εἰς μὲν τὰ πλοῖα — ἐνεβίβασαν — τοὺς ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη — καὶ Φιλήσιον καὶ Σοφαίνετον τοὺς πρεσβυτάτους τῶν στρατηγῶν εἰσβιβάσαντες τούτων ἐκέλευον ἐπιμελεῖσθαι" amplius quadraginta annos habuisse videntur, maior natu Timasione esset, quem saltem triginta annis maiorem fuisse ex ipsius verbis V, 6, 24: „τὰ δὲ διὰ τὸ συνεστρατεῦσθαι ἐν αὐτῇ (sc. ἐν τῇ Φαρναβάζου ἀρχῇ) σὺν Κλεάρχῳ τε καὶ Δερκυλίδᾳ" recte collegit Kruegerus, circiter annos quadraginta fuisse natum conicere licet. Kruegerus autem dicens iam grandem natu fuisse Chirisophum non multo post mortuum paene incredibili negligentia praeteriit, illum febri laborantem medicamento sumpto perisse. Vide VI, 4, 11: „καὶ Χειρίσοφος μὲν ἤδη ἐτετελευτήκει φάρμακον πιὼν πυρέττων". Itaque etiam hac ratione eo ducimur, ut Xenophon nondum quadraginta annos tunc fuerit natus.

Idem Kruegerus fortasse neminem omnium ducum quadraginta annis fuisse minorem censuit, ego plurimos duces maiores natu fuisse nego. Nam ex interfectis ducibus unum Clearchum quinqua-

ginta fere annos — cf. II, 6, 15: „ἦν δὲ (sc. Κλέαρχος) ὅτε ἐτελεύτα ἀμφὶ τὰ πεντήκοντα ἔτη" —, Agiam et Socratem circiter triginta quinque annos — cf. II, 6, 30: „ἤστην δὲ ἄμφω (sc. Ἀγίας ὁ Ἀρκὰς καὶ Σωκράτης ὁ Ἀχαιός) ἀμφὶ τὰ πέντε καὶ τριάκοντα ἔτη ἀπὸ γενεᾶς" —, Proxenum triginta fere annos (cf. II, 6, 20) fuisse natos, Menonem Thessalum adulescentem imberbem mercennariis esse praefectum — cf. II, 6, 28: „(Μένων) παρὰ Ἀριστίππου μὲν ἔτι ὡραῖος ὢν στρατηγεῖν διεπράξατο τῶν ξένων, Ἀριαίῳ δὲ βαρβάρῳ ὄντι, ὅτι μειρακίοις καλοῖς ἥδετο, οἰκειότατος [ἔτι ὡραῖος ὢν] ἐγένετο, αὐτὸς δὲ παιδικὰ εἶχε Θαρύπαν ἀγένειος ὢν γενειῶντα" — audimus. Non habeo cur duces suffectos maiores annis fuisse quam duces interemptos putem. Si plurimi duces quadraginta annis minores fuerunt, Xenophon, inter duces cum Timasione minimus natu, quadraginta annis multo minor fuit. Recte iam Vaterus mercennarios et mercennariorum duces admodum raro senes fuisse admonuit, cum divitiarum colligendarum causa in bellum profecti essent, ut posthac aucti opibus in tranquillo otio senescerent.

Quid? quod Graeci Trapezunto abituri in naves, quarum non satis erat copia, milites adversa valetudine affectos, eos qui annum quadragesimum excesserant, liberos, mulieres, vasa non necessaria imposuerunt, id quod legimus V, 3, 1 „Ἐπεὶ δὲ . . . . οὔτε πλοῖα ἱκανὰ ἦν . . . . ἐδόκει ἀπιτέον εἶναι. καὶ εἰς μὲν τὰ πλοῖα τούς τε ἀσθενοῦντας ἐνεβίβασαν καὶ τοὺς ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τῶν σκευῶν ὅσα μὴ ἀνάγκη ἦν ἔχειν". Luce clarius est eos qui annum quadragesimum excesserant non multos fuisse. Nam in „πλοῖα οὐχ ἱκανά" cum illis milites aegroti, quorum numerum fuisse magnum post tot tantosque labores statuere licet, liberi, mulieres, quas multas esse secutas exercitum legimus IV, 3, 19: συνωλόλυζον δὲ καὶ αἱ γυναῖκες ἅπασαι. πολλαὶ γὰρ ἦσαν ἑταῖραι ἐν τῷ στρατεύματι, vasa non necessaria sunt imposita.

Aggredior ad locum Anab. III, 1, 45: „μετὰ δὲ τοῦτον εἶπε Χειρίσοφος, Ἀλλὰ πρόσθεν μέν, ὦ Ξενοφῶν, τοσοῦτον μόνον σε ἐγίγνωσκον ὅσον ἤκουον, Ἀθηναῖον εἶναι". Inde efficitur Xenophontem non ante neque in rebus militaribus neque in litteris quidquam professisse.

Quin Xenophon, si multos annos stipendia meruisset acerrimo bello Peloponnesiaco, quod cuique imperatoriis virtutibus praedito gloriaeque appetenti multas variasque occasiones ascendendi ad honores suppeditaret, pro suo admirabili ingenio virtutibusque bellandi certe tantum assecuturus fuerit, ut notitia apud Graecos non careret, quis est qui dubitet? Accedit quod eum externae expeditioni interfuisse, antequam ad Cyrum se contulisset, nusquam libri Xenophontis indicant. Neque vero est ullus locus in Anabasi, quo Xenophontem usum militarem bello priore esse consecutum probari queat. Nam quodsi Seuthae interroganti, quare ex equo descendisset, respondit

VII, 3, 45: „Οἶδα ὅτι οὐκ ἐμοῦ μόνου δέει. οἱ δὲ ὁπλῖται θᾶττον δραμοῦνται καὶ ἥδιον, ἐὰν καὶ ἐγὼ πεζὸς ἡγῶμαι", id cognovisse eum in reditu ipso Graecorum apparet ex loco supra laudato III, 4, 48; neque quod VII, 3, 37. 58 de ordine agminis nocturni loquitur, id didicisse priore bello eum putare cogimur. Immo unus est locus in Anabasi, quo Xenophon instituitur a peritis militibus. Cum enim in itinere per Armeniae aequum nive impletum facto multi milites fame laborantes concidissent, ignoravit quid illud morbi esset, sed brevi illos vi famis non tolerabili deficere didicit a militibus peritis. Vide IV, 5, 8: „πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἐβουλιμίασαν. Ξενοφῶν δὲ — καταλαμβάνων τοὺς πίπτοντας τῶν ἀνθρώπων ἠγνόει, ὅ, τι τὸ πάθος εἴη. ἐπειδὴ δὲ εἶπέ τις αὐτῷ τῶν ἐμπείρων ὅτι σαφῶς βουλιμιῶσι".

Quin vero Xenophon triginta annis minor natu fuerit, cum in locum Proxeni dux sufficeretur, nihil habent dubitationis loci Anab. III, 1, 14 et III, 1, 25. Cum enim Graecorum ducibus dolo a Persis sublatis in illa omnium rerum desperatione noctu e levi somno excitatus deliberet, an se ipse ducem offerat, aetatis cogitatio scrupulum ei inicit, quem tandem sibi ipse ita evellit ut dicat: „ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις". Deinde convocatis Proxeni centurionibus illius loco alium ducem creari iubet ita perorans: „κἀγὼ δέ, εἰ μὲν ὑμεῖς ἐθέλετε ἐξορμᾶν ἐπὶ ταῦτα, ἕπεσθαι ὑμῖν βούλομαι, εἰ δ' ὑμεῖς τάττετ' αὐτόν με ἡγεῖσθαι, οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τὰ κακά". Neminem alium haec dicere potuisse nisi qui aut iunior aut senior esset quam pro tali munere est manifestum. Quid tum? Si Xenophon senior fuit quam ut ducis munus subiret quot tandem aetatis annos aliis ducibus suffectis tribuamus necesse est, cum Xenophon et Timasion minimi natu dicantur? Ridiculum vero est credere Graecos, vel mercennarios milites, perfidia Persarum ducibus privatos, hostium copiis undique circumfusos, frumento commeatuque interclusos senibus munera ducum deferre ausos esse, a quibus per tot tantaque pericula et discrimina rerum exspectanda salvi reducerentur. Atque Hutchinsonus, Delbrueckius, alii illa Xenophontis verba interpretantes eum illis verbis dixisse „se provectae cum aetatis excusationem haberet, ea tamen uti nolle, cum sibi satis ad mala propulsanda vigoris inesse sentiret", ostendere neglexerunt, quemadmodum is, qui longius provectam aetatem esse excusandam duceret, paulo ante secum cogitare et dicere posset: „ποίαν ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω". Quid? quod ceteri duces, qui maiores natu erant Xenophonte, sine ulla offensione aetatis provectae sunt creati. Restat igitur tantum alterum, ut illa Xenophontis verba ita interpretemur: se aetatem, id est iuventutem non esse excusaturum, sed imperium si oblatum sit, accepturum. Neque vero Kruegero putanti Xenophontem, etiamsi quadraginta vel amplius

quadraginta annos natus ideoque „ἐν ἀκμῇ" fuisset, ne iuventus sibi exprobraretur timere tamen potuisse, cum seniores affuissent atque Lacedaemonii, qui nunquam non imperium sibi arrogassent, assentior. Nam primum vereor ut Xenophon quadragesimum quartum aetatis annum agens, si annos fere viginti bello Peloponnesiaco stipendia fecisset; tantam modestiam ac paene ineptias exhibiturus fuerit ut in imperando maioribus natu cedere se velle profiteretur, praesertim cum in maximis natu militibus „οἱ ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη" numerentur; deinde quod ad principatum Lacedaemoniorum attinet, solis mercennariis Proxeni Xenophon dux se obtulit, inter quos fuisse Lacedaemonios veri non est simile, neque in ducibus sufficiendis ulla Lacedaemoniorum ratio est habita. Sed reputans Xenophontem, cum Proxeni mercennariis ducem se offerret, metuisse, ne illi antea ab iuvene triginta fere annorum ducti sibi ob iuventutem suam adversarentur, quis tandem dubitabit quin Xenophon minor natu fuerit Proxeno? Nam cum illius centuriones iuveni triginta annorum oboedire consuevissent, haud scio an illi Xenophonti iuventutem excusanti, si quadraginta fere annos natus fuisset, irrisuri fuerint. Atque etiam si paulo maior natu vel aequalis fuisset Proxeno, inepte dubitavisset, num ob iuventutem ducem se offeret militibus antea ab iuvene minore natu ductis. Verba denique illa: „ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τὰ κακά" nihil aliud significant nisi sibi necessarium virium vigorem esse ad propulsanda mala putare Xenophontem. Itaque si statuimus Xenophontem annos fere undetriginta vel duodetriginta fuisse natum, cum Proxeni successor designaretur, loci Anab. III, 1, 14 et III, 1, 25 facillime explicantur et cum locis ante laudatis optime congruunt.

Illi docti viri nostrae aetatis, a quibus de aetate Xenophontis dissentio, certissimum argumentum cur Xenophontem, cum Cyri expeditioni interesset, annos fere quadraginta quattuor fuisse natum credamus, hoc afferre videntur, quod VII, 2, 38 verba: „σοὶ δέ, ὦ Ξενοφῶν, καὶ θυγατέρα δώσω καὶ εἴ τις σοὶ ἔστι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ" a Seuthe rege dici non potuerint, nisi Xenophon id aetatis fuisset, qua filiam iam nubilem habere posset. Neque vero ullam difficultatem habet ille locus neque verba Seuthae Xenophontem annum quadragesimum excessisse ullam persuadendi necessitatem adhibent. Auctores enim veteres nos docuerunt, quo aetatis anno puellae apud Graecos nuberent et viri uxores ducerent. Remotis iis quae Hesiodus, Plato, Aristoteles de ea re statuerunt, quia haec ad institutionem vitae communis non spectant, etsi fuisse consuetudinem, ut neque virgines, priusquam decimum quintum annum excessissent, viris nuberent neque viri, priusquam vicesimum aetatis annum egressi essent, uxores in matrimonium ducerent, e testimoniis antiquis intelleximus, cf. Becker, Charikles III, pag. 290, Friedländer, Sittengeschichte Roms I^5 pag. 504 ff., C. F. Hermann,

Griech. Privataltert h. p. 36, tamen exemplis a scriptoribus litteris mandatis comprobari potest virgines nondum quindecim annos natas nupsisse, viros nondum viginti annos natos uxores duxisse non fuisse inauditum. Ischomachus quidem apud Xenophontem Oecon. 7, 5 puellam „ἔτη οὔπω πεντεκαίδεκα γεγονυῖαν“ in matrimonium duxit atque apud Phlegontem De Mirabil. cap. 6 virgo „τρισκαιδεκαέτις“ paulo ante diem nuptiis destinatum in marem mutatur. Viros autem interdum ante annum aetatis vicesimum duxisse uxores testes sunt Demosthenes, cuius in oratione adversus Boetum habita de dote Mantitheus dicit: „συνέβη γάρ μοι, δεηθέντος τοῦ πατρός, ὀκτωκαιδεκέτη γῆμαι, καὶ διὰ τοῦτο μοι εἶναι θυγατέρα ἤδη ἐπίγαμον“, et Pausanias IV, 19, 6: „ταύτην τὴν παρθένον λαμβάνει γυναῖκα Γόργος Ἀριστομένους· ἐδίδου δὲ Ἀριστομένης τῇ παιδὶ ἐκτίνων σῶστρα, ἐπεὶ Γόργῳ οὐκ ἦν πω δέκατον καὶ ὄγδοον ἔτος, ὅτε ἔγημεν“, et Suidas s. v. Τέως: „Καὶ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τοῦ Δικαιογένους κλήρου (Λύσιας)· Δικαιογένης δὲ τέως μὲν ᾤκει παρ' ἡμῖν· δοκιμασθεὶς δὲ ἔγημε“. — „Δοκιμασία εἰς ἄνδρας“ in duodevicesimum aetatis annum incurrit cf. Meier u. Schömann, Attischer Process ed. Lips. pag. 755. — His comparatis intelleges Xenophontem annos fere undetriginta natum eo tempore, quo Seuthes illa verba est locutus, filiam nubilem annorum fere duodecim habere potuisse.

Neque vero ex verbis Seuthae „εἴ τις σοὶ ἔστι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ“ quidquam colligi potest, nisi Xenophontem id aetatis fuisse Seuthae esse visum, qua filiam ei esse suspicari posset. Atque Xenophon nonne post duorum fere annorum militias, post tot variosque casus, post tot discrimina rerum aliquot annis maior natu videri potuit quam erat? Deinde cum nocturno tempore Xenophon et Seuthes colloquerentur, ad fallax lunae vel facis lumen Xenophontem facile decem fere annis maiorem natu duci potuisse recte admonuit Vaterus. Neque omnino filiam statim in matrimonium ductum iri Seuthes dixit. Nam natura rerum et civilium temporum commotus filiam Xenophontis sibi despondere potuit, etiamsi illa nondum matura esset. Ita de nuptiis futuris loqui ei licuit. Sed quod Vaterus fortasse eum de illegitima filia cogitasse censebat, hoc mihi non placet.

Sed quis est cui tantum „moris causa“ Seutham dixisse: „σοὶ δέ, ὦ Ξενοφῶν, καὶ θυγατέρα δώσω καὶ εἴ τις σοὶ ἔστι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ“ non in mentem veniat, cum neque Seutham Xenophonti postea filiam despondisse neque Xenophontem ipsum unquam ad haec quasi honorifice oblata rediisse meminerit? At quanti Xenophon cetera, quae promiserat Seuthes, aestimaverit, apparet ex eo, quod tantum ea memoria comprehendit. Vide VII, 5, 8: „καὶ τέως μὲν ἀεὶ ἐμέμνητο ὡς, ἐπειδὰν ἐπὶ θάλατταν ἀπέλθῃ, παραδώσει αὐτῷ Βισάνθην καὶ Γάνος καὶ Νέον τεῖχος. ἀπὸ δὲ τούτου τοῦ χρόνου οὐδενὸς ἔτι τούτων ἐμέμνητο“ et VII, 6, 34:

„ὃν (sc. Σεύθην) ἤλπιζον εὖ ποιήσας μεθ' ὑμῶν ἀποστροφὴν καὶ ἐμοὶ καλὴν καὶ παισίν, εἰ γένοιντο, καταθήσεσθαι". Inde perspicuum esse mihi videtur a Xenophonte ipso ita esse intellecta illa verba Seuthae, ut „consuetudinis causa" dicerentur, ideoque dissimulata.

Etsi per aetatem fieri potuerat, ut Xenophon uxorem duceret, antequam ad Cyrum proficisceretur, certe liberos ei tunc nondum fuisse colligi necesse est e loco Anab. VII, 6, 34: „ὃν ἤλπιζον . . . . ἀποστροφὴν καὶ ἐμοὶ καλὴν καὶ παισίν, εἰ γένοιντο, καταθήσεσθαι". Quae quin melius cadant in virum undetricesimum fere aetatis annum quam in virum quadragesimum quintum agentem quis est qui dubitet? Attamen Kruegerus, quamquam a Xenophonte tunc nondum liberos esse procreatos putavisse videtur, eum ante Cyri expeditionem et Socratis mortem uxorem duxisse ex eo collegit, quod „apud Socraticum Aeschinem demonstraverat Socrates cum Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam", et huic Xenophontis uxori nomen fuisse Sotiram sibi persuasit. Sed veri simile non est futurum fuisse ut Xenophon amicum Proxenum monentem, ut in Asiam ad Cyrum veniret, sequeretur, si domi uxor fuisset relinquenda. Credemusne eum in Cyri amicitiam et fidem se contulisse, ut uxor domi vidua iaceret noctes, ipse in rebus arduis periculosisque cubitaret cum nescio qua amicula? Neque dubium est, quin Socrates Xenophonti, cum ab eo peteret consilium, si ille tunc uxorem duxisset, officia nuptialia exprobraturus fuerit, non periculum, in quod societate cum Cyro, hoste patriae, facta vocari posset, et Xenophon ipse, cum de iniqua sua sorte loqueretur, etiam uxoris sine prole domi relictae mentionem fuerit facturus. Itaque illud fragmentum Dialogi Aeschinei, quod servatum a Cicerone in libro de inventione I, 31 repetiit Quintilianus Instit. V, 11, 27 et 28, ad alium Xenophontem velut ad filium Euripidis a Thucydide II, 70, 1 et 79 laudatum referri debet. Neque Sotiram fuisse Xenophontis uxorem est traditum in epistulae Xenophonti ascriptae fragmento apud Joannem Stobaeum (Coll. epist. Graec. ed. J. C. Orelli pag. 48), ubi Xenophon Sotiram quandam de Grylli morte consolans fingitur. Qua ratione Xenophon cum illa Sotira fuerit coniunctus, nescio. Nullo modo eum uxorem priorem morte amisisse aut divortium cum ea fecisse Kruegero est concedendum, cum illam Sotiram post mortem Grylli cum Xenophonte esse coniunctam epistularum faber fingat. Atque Philesiam uxorem Xenophontis adeoque matrem Grylli et Diodori fuisse memoriae prodiderunt Diogenes Laertius II, 52; Eustathius ad Odysseam XI p. 1686; Suidas s. v. Ξενοφῶν.

Sed redeat unde degressa est oratio. Multis difficultatem habere videtur locus Anab. VII, 6, 38, ubi Xenophon de se apud milites loquitur: „ἀλλὰ καὶ πατέρα ἐμὲ ἐκαλεῖτε καὶ ἀεὶ ὡς εὐεργέτου

μεμνήσεσθαι ὑπισχνεῖσθε". Dicunt enim iuvenem undetriginta fere annorum appellari patrem esse absurdum. Sed vocem patris esse indicio aetatis admodum provectae nego. Xenophon, cum ducibus quinque dolo a Tissapherne captis totus exercitus ad omnium rerum desperationem adductus esset, solus de salute omnium cogitans dicendi agendique vi sua ducum militumque afflictos animos recreavit; deinde ut taceam, quotiens antequam ad mare perventum esset, sive consilio sive re adiuverit, ut milites per insidiosa salvi irent, affero beneficia, quorum memoriam amisisse milites Xenophon queritur VII, 6, 36: „ἢν δὲ ποιήσητε ἃ λέγετε, ἴστε ὅτι ἄνδρα κατακεκονότες ἔσεσθε πολλὰ μὲν δὴ πρὸ ὑμῶν ἀγρυπνήσαντα, πολλὰ δὲ σὺν ὑμῖν πονήσαντα καὶ κινδυνεύσαντα καὶ ἐν τῷ μέρει καὶ παρὰ τὸ μέρος, θεῶν δ' ἵλεων ὄντων καὶ τρόπαια βαρβάρων πολλὰ δὴ σὺν ὑμῖν στησάμενον, ὅπως δέ γε μηδενὶ τῶν Ἑλλήνων πολέμιοι γένοισθε, πᾶν ὅσον ἐγὼ ἐδυνάμην πρὸς ὑμᾶς διατεινάμενον". Quae cum ita essent, milites, qui praecipue Xenophontem salutis suae esse auctorem persuasum habebant, qualibet occasione oblata pro beneficiis gratias agentes eum patrem appellaverunt et semper beneficiorum eius esse futuros se memores promiserunt. In eandem vero sententiam Cyrus dicitur „πατήρ" Cyropaed. VIII, 2, 9: „τίς δ' ἄλλος καταστρεψάμενος ἀρχὴν ὑπὸ τῶν ἀρχομένων πατὴρ καλούμενος ἀπέθανεν ἢ Κῦρος. τοῦτο δὲ τοὔνομα δῆλον ὅτι εὐεργετοῦντός ἐστι μᾶλλον ἢ ἀφαιρουμένου". Confer etiam Cyropaed. VIII, 1, 1: „καὶ ἄλλοτε κατενόησα, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ". Atque apud Herodotum III, 89 Cyrum maiorem a Persis esse patrem appellatum legimus „ὅτι ἤπιός τε καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο" (cf. Pausanias VIII, 43, 6: „δόξῃ δὲ ἐμῇ καὶ τὸ ὄνομα τὸ Κύρου φέροιτο ἂν τοῦ πρεσβυτέρου, πατὴρ ἀνθρώπων καλούμενος"). Dignissima denique quae cum Anabasis loco conferantur, sunt Minutii verba quae apud Plutarchum Vit. Fabii Max. cap. 13 leguntur: „Πατέρα δή σε χρηστὸν προσαγορεύω, τιμιωτέραν οὐκ ἔχων προσηγορίαν· ἐπεὶ τῆς γε τοῦ τεκόντος μείζων ἡ παρὰ σοῦ χάρις αὕτη· ἐγεννήθην μὲν γὰρ ὑπ' ἐκείνου μόνος, σώζομαι δὲ ὑπὸ σοῦ μετὰ τοσούτων". Fabius Maximus igitur a Minutio pater appellatus est, quod hic illius beneficio a calamitate incolumis fuit. Itaque etiam illo de quo agitur Anabasis loco cogitationem scriptoris voluntatemque recte interpretatur, qui Xenophontem a militibus patrem esse appellatum censet non quod ille per aetatem pater plurimorum militum esse posset, sed ut reditus salutisque auctori gratias agerent. Xenophontem igitur fuisse aetate admodum provectum ex hoc loco colligere neutiquam cogimur.

Quoniam singulos Anabasis locos, e quibus aetas, qua tunc fuisset Xenophon, constitui posset, persecuti Xenophontem nondum triginta annos fuisse natum cognovimus, exsistit quaestio quot annis minor fuerit. In hac re per Xenophontem in Anabasi non erudimur,

sed cum plures annos eum Socrate magistro esse usum constet, nos non errare putamus, si eum uno alterove anno minorem fuisse statuamus. Neque Hartmano, qui Xenophontem viginti quinque annos fuisse natum contendit, assentior. Iure Schenklius (Bursian-Müllers Jahresbericht Bd. 54 pag. 3) illam coniecturam argumentis ab Hartmano allatis esse confirmatam negat. Nequaquam loci III, 1, 14 et III, 1, 25 multis annis fuisse minorem natu Proxeno Xenophontem docent. „Ea, inquit Hartmanus, tum fuisse aetate Xenophontem contendo, qua ex usu et consuetudine inauditum esset, summum ad aliquem deferre imperium". Nego Xenophonti in mentem venisse fore ut mercennarii in extremis suis rebus „usu et consuetudine" in creandis ducibus cogerentur; nam inter insidias undique instantes non solum leges sed etiam usus et consuetudo silent. At Xenophon Proxeni milites „rebus afflictis" commoveri videtur putasse, ut virum aetate provectum, non iuvenem, cuius aetas periculis instantibus accommodata non esset, eligerent. Ut militibus causam aetatis a primo praecideret, dixit haec „ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τα κακά". Cum Graeci ducibus interfectis in periculo esse coepissent, ut ita dicam, Xenophon quamvis uno alterove anno minor natu Proxeno esset, fortasse timuit, ne milites ducem aetate maiorem natu sibi praeponerent. Ita Xenophon ad aetatis excusationem paratus militibus scrupulum illis verbis fiducia ingenii sui vigorisque plenis evellit. Illi loci id unum docent Xenophontem nondum tricesimum aetatis annum egisse; utrum viginti quinque an undetriginta annos habuerit, vix demonstrari potest; equidem si cogito, qualem in Anabasi eum conspiciamus, undetriginta fere annos eum fuisse natum de mea sententia iudico.

Restat, ut Xenophontis universa consilia factaque in iuvenem nondum triginta annos natum cadere continua oratione exponamus. Et Xenophon quidem priusquam a Proxeno per literas vocaretur, ut Sardis veniret, Athenis in Socratis discipulis versabatur (cf. Diogenes Laertius II, 48). Bona vero naturae indole praeditus a Socrate temperantiam modestiamque, dexteritatem prudentiamque et rerum conditiones perspiciendi et homines tractandi didicit. Quod Kruegerus (Kritische Analekten II p. 45), qualis Xenophon in Anabasi esse sibi videatur, exponens ita loquitur: „klar und besonnen, taktvoll und gemässigt, gewandt und fügsam, ein vortrefflicher Logistiker, der die Menschen und Verhältnisse ebenso gut kennt und zu berechnen als zu behandeln weiss, selbst Neid und Missgunst, oft mit einer fast diplomatischen Geschicklichkeit zu pariren versteht. Keine einzige Eigenschaft, die ein Vierziger nicht haben konnte, aber viele, die, in dem Grade gereift und verbunden, an einem achtundzwanzig Jährigen in Verwunderung setzen würden. Nirgends dagegen etwas Leidenschaftliches, Heftiges, Enthusiastisches

Stürmisches oder gar Ueberschwängliches", non mirum est, illas virtutes fuisse in iuvene undetricesimum fere aetatis annum agente, qui cum bona indole praeditus tum Socrate magistro virtutum usus esset. Atque nonne Xenophontem vehementer ardenterque se gerere videmus loco Anabasis III, 4, 48: „καὶ ὅς (sc. Ξενοφῶν) ἀκούσας ταῦτα καταπηδήσας ἀπὸ τοῦ ἵππου ὠθεῖται αὐτὸν ἐκ τῆς τάξεως"? Aliquot annos Socrate familiariter usus a Proxeno, aequali fere aetate hospite, per literas invitatus est, ut ad Cyrum Sardis proficisceretur. Certe est veri simillimum Xenophontem iisdem causis quibus Proxenum esse motum ut Cyrum sequeretur, quod praecipue verba quae leguntur III, 1, 4: ὑπισχνεῖτο δὲ αὐτῷ, εἰ ἔλθοι, φίλον αὐτὸν Κύρῳ ποιήσειν, ὃν αὐτὸς ἔφη κρείττω ἑαυτῷ νομίζειν τῆς πατρίδος prodere mihi videntur. Ad id tempus Athenis sine officio negotioque versatus occasionem sequendi conditionem vitae ad indolem studiumque aptam arripuit sperans se Cyro auctore magnam gloriam opesque esse adepturum. Sardis vero profectus primo privatus voluntariusque exercitum Proxeni est secutus, tum ducibus Tissaphernis perfidia occisis in locum Proxeni a mercennariis dux est suffectus. At quispiam quaerat, quibus causis adducti mercennarii Proxeni Xenophontem, qui iuvenis annorum fere undetriginta „οὔτε στρατηγὸς οὔτε λοχαγὸς οὔτε στρατιώτης" castra esset secutus neque unquam antea expeditioni externae interfuisset, ducem creaverint? Primum militum animi magnopere sunt inflammati, quod Xenophon solus animis omnium ducum militumque in summam desperationem coniectis de sua ceterorumque salute cogitaverat omnesque ex desperatione rerum eripuerat. Atque etiam priusquam Proxenus occideretur, milites eius Xenophontis virtutes cognovisse eumque magni aestimare coepisse veri simile est. Huc accedit quod in Proxeni exercitu permulti Athenienses militaverunt, ut H. Ballius Philol. XLV (1886) magna probabilitatis specie docuit, a quibus prolem e gente nobili Atheniensi natam omnibus esse praeferri par fuit. Inde ab illo tempore Xenophon ingenium ad res militares aptum magis ostendens usum quoque rerum militarium consequi coepit. Ita cum loco Anab. III, 2, 18 de equitatu quasi maxime esset obnoxius agmini comtemptim locutus esset, haud multo post detrimento edoctus effecit, ut equitatus restitueretur. Neque vero intellego, quomodo Xenophon tam comtemptim de equitatu loqui potuerit, si bello Peloponnesiaco iam stipendia fecisset et equo publico meruisset. Atque alia argumenta, quae Xenophontem usum militarem in reditu ipso Graecorum paulatim esse consecutum docent, supra attuli.

Xenophon cum nonnunquam consilio promptum, manu etiam promptiorem se praeberet, brevi apud duces militesque multum valuit. Qua auctoritate usus coloniae deducendae consilium cepit, sed milites obstiterunt, cum incolumes in Graeciam redire cuperent. Quare

milites quam celerrime in patriam redire cupiverint, audimus VI, 4, 8: „ἀλλὰ ἐδόκει καὶ τὸ ἐλθεῖν ἐνταῦθα ἐξ ἐπιβουλῆς εἶναι, βουλομένων τινῶν κατοικίσαι πόλιν, τῶν γὰρ στρατιωτῶν οἱ πλεῖστοι ἦσαν οὐ σπάνει βίου ἐκπεπλευκότες ἐπὶ ταύτην τὴν μισθοφοράν, ἀλλὰ τὴν Κύρου ἀρετὴν ἀκούοντες, οἱ μὲν καὶ ἄνδρας ἄγοντες, οἱ δὲ καὶ προσανηλωκότες χρήματα, καὶ τούτων ἕτεροι ἀποδεδρακότες πατέρας καὶ μητέρας, οἱ δὲ καὶ τέκνα καταλιπόντες ὡς χρήματ' αὐτοῖς κτησάμενοι ἥξοντες πάλιν, ἀκούοντες καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παρὰ Κύρῳ πολλὰ καὶ ἀγαθὰ πράττειν. τοιοῦτοι οὖν ὄντες ἐπόθουν εἰς τὴν Ἑλλάδα σῴζεσθαι". Manifestum esse mihi videtur „τοὺς βουλομένους κατοικίσαι πόλιν" esse oppositos iis, qui „τοιοῦτοι ὄντες" in patriam redire maluerunt. Cum autem Xenophontem urbem in Ponto condere cupivisse ex pluribus locis (cf. V, 6, 15. VI, 4, 14) appareat, eum ad Cyrum venisse aliis causis adductum ac plurimos milites ex hoc loco colligere non dubito, praesertim cum enumerans quibus diversis causis milites essent moti, ut cum Cyro proficiscerentur, nunquam illud: ὧν εἷς καὶ Ξενοφῶν ἦν adiecerit. Ita rursus ab eo liberos domi non esse desertos evidentissimum est. At sunt qui Xenophontem fuisse virum aetate admodum provectum necesse esse dicant, cum tantam auctoritatem apud milites haberet, ut contineret ne milites furore atque amentia impulsi Byzantium oppugnarent. Neque vero est, cur milites ira incensos iuveni utilia monenti et necessaria oboedivisse miremur, praesertim cum plus habere intelligentiae prudentiaeque eum quam ceteros duces militesque cognovissent.

Haec habui quae dissererem. Eis quae Xenophon in Anabasi de se ipse narrat, diligenter expensis atque inter se comparatis, eum annos fere aetatis undetriginta natum ducem esse creatum, triginta annos natum apud Seuthem esse commoratum mihi persuasi: quod ut aliis persuadeam velim.
